



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De donis in Ecclesiam collatis, deque eius munificentia in virgines &  
pauperes. Cap. XXVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

## EVSEBII DE VITA

minimæ esset fraudi testatorum iam morientium voluntatis: Prudenter hæc animo complectens imperator, legem ipsam abrogavit: statuitq; vt moriens nudis verbis & fortuita oratione voluntatem suam testaretur: & quouis scripto sententiam suam ederet: aut si mallet, sine scripto testaretur: adhibitis ad eam rem idoneis testibus: quiq; fidem sine fallacia seruare possent.

*Quod sanxerit, ne Iudæis vllus Christianus manciparetur, statuerisq; vt Synodorum definitiones & sententia rata, firmæq; essent, & cætera in hanc sententiam.*

### CAP. XXVII.

**S**Anxit etiam ne Christianus quisquam seruiret Iudæis. Etenim nefas esse vt qui prophetas trucidassent: dominum ipsum crudeliter mactassent: hi domini seruatoris sanguine redemptos seruitutis iugo subijcerent. Quod si quis ea conditione & statu reperiretur: is vt libertate donaretur: Iudæus multa pecuniaria coerceretur. Iam quæ ab Episcopis in publicis conuentibus editæ erant regulæ: sua consignabat & confirmabat autoritate: ne reliquarum gentium principibus liceret, quæ ab eis decreta essent abrogare. Cuiusuis enim iudicis sententiæ sacerdotum Dei iudicium anteponendum esse. Huic generi finitima, propè innumerabilia suis exarauit: quæ si quis singula ad propria capita referre voluerit: quo illustrior & notior esse possit, etiam in hoc genere imperatoris prudentia: magnum sane ocium & liberum ac vacuum tempus habeat, necesse est. Præterea quid attinet commemorare: vel quemadmodum se Deo à prima luce vsque ad extremum diem omnibus in rebus coniunxerit: vel cui hominum generi gratus esse studuerit: vel vt ad infimam se fortunam dimiserit, omnibusq; suam munificentiam patefecerit.

*De donis in Ecclesiam collatis, deq; eim munificentia in virgines & pauperes.*

### CAP. XXVIII.

**E**cclenas verò Dei, incredibile est, & supra omnem opinionem, quot ornamentis locupletauerit: cum aliis agros,



agros, aliis annonam, ad pauperes, orphanos, miseratq; mulieres tuendas & alendas donaret. Iam magna cura etiam vestes nudis corporibus providebat. Maximis autem eos honoribus prosequeretur: qui vitam suam cælesti philosophiæ dedicassent. Sanctissimum ergo perpetuarum virginum cœtum constanter colebat: quod in earum mentibus Deum ipsum, cui se consecrarant, inhabitare crederet.

*Orationes & conciones Constantini.*

CAP. XXIX.

**E**quidem suam ipsius mentem quodam quasi afflatu & instinctu diuinarum rerum exaggerans: totas sæpe noctes sine somno traduxit: & cum per otium liceret, orationes scribens, frequentes cum suis inibat congressus, quod suarum esse partium existimaret rationis freno imperio suo parentes regere: atque adeo vniuersum regnum rationis imperio subijcere. Quapropter infinita multitudo solebat ad imperatoris nutum confluere: vt cum philosophantem audiret. Quod si eo dicente aliquando aliqua occasio incidisset de Theologia loquendi, erecto corpore consistens, contractoq; vultu, & depressa voce, adhibita summa prudentia & moderatione, præsentium animos cœlesti disciplina initiare ac deuouere videbatur. Quam rem cum sequeretur populi grata acclamatio: solebat nutu significare, vt cælum suspicerent, & venerandis laudibus omnium regem Deum admirarentur & colerent. Cum verò distributè de pluribus rebus loqui vellet: primum refutabat argumenta, quibus magno errore deorum multitudo introducebatur: probans gentium superstitionem fraudis esse causam, & huius de Deo erroris propugnaculum. Deinde Deum vnum vni imperio præsentem eis commendabat. Cuius de prouidentia deinceps & generatim & particulatim disputabat, indeque ad seruatoris nostri dispensationem descendens, hanc quoque ostendebat, vt eius ratio postulabat necessario extitisse. Ab isto loco digrediens, disputationem mouebat de Dei tribunali, quo genere maximo terrore ferire videbatur audientium animos, cum seuerè reprehenderet raptos, iniuriarum auctores, & qui se inexplebili diuitiarum auiditati mancipassent.

Fami-